

cum ex ergastulo carnis ad æthera esset sublevatus, A tanta de exanimi ejus corpore suavissimi odoris manavit fragrantia, ut cunctorum ibi assistentium perfunderet nares et pectora. In cujus veneratione dicamus : Gloria tibi Domine.

(*Collecta ad Missam.*) Deus qui hodiernæ festivitatis diem beati Wodalrici confessoris tui atque pontificis transitu gloriosum fecisti : concede propitius sic tanti patroni atque doctoris merita venerari in terris, ut ipsius apud te patrocinia sentiamus in cœlis. Per.

(*Secreta.*) Munus, Domine, nostræ devotionis sacro altari superpositum, pia beati Wodalrici supplicatio tibi Domino Deo nostro reddat acceptum, et ad hoc percipiendum purificet corda omnium nostrum. Per.

(*Præfatio.*) Æquum et salutare. Te quidem in B

sanctis tuis mirabilem prædicare, cujus gratuiti semper est muneris, quidquid in eorum vel verbis sonat mirabilo, vel virtutibus coruscat insigne. Unde ex eorum collegio beati Woldarici confessoris tui atque pontificis solemnia celebrantes, eadem sacrosancta Filii tui Domini nostri Jesu Christi dextera petimus in æternum consignari, quæ singularem redemptionis nostræ hostiam, ipso sacerdote sacro altari assistente, visibiliter voluisti benedici. Per eundem Christum Dominum nostrum : per quem majestatem tuam laudant.

(*Postcommunio.*) Cœlestium sacramentorum participes effecti, quæsumus, Domine Deus noster : ut, interveniente beato Wodalrico confessore tuo atque pontifice, et peccatorum nostrorum indulgentiam, et vitam consequi mereamur æternam. Per.

ANNO DOMINI DCCCCLXXIV.

BENEDICTUS VI PAPA.

NOTITIA HISTORICA.

(MANSI *Conciliorum generalium*, tom. XIX, col. 37.)

Benedictus, patria Romanus, filius Hildebrandi, C post obitum Doni subrogatus est in locum ejus xiii Kal. Decemb., anno Redemptoris 972. Hujus temporibus Otto magnus imperator, funeribus matris et Willemi Moguntini episcopi præmissis, mortuus est in Saxonia, anno imperii sui duodecimo. Adalais relicta conjux animam defuncti Ottonis mariti sui prosecuta fuit iis pietate officiis, quæ a Witichindo in fine libri iii describuntur. Post obitum patris Otto secundus solus imperare cœpit, qui cum patre sextum annum imperii sui inchoaverat. Benedictus a Bonifacio Francone Romano, Fernitii filio, cardinale diacono, viro scelestissimo, captus et in carcerem detrusus, strangulatus est ab eodem, anno Christi 974, cum sedisset annum unum, menses tres

et dies aliquot. Sedem apostolicam sacrilega cæde optimi pontificis vacantem sacrilegus homicida Bonifacius, qui septimus ejus nominis reperitur alibi nuncupatus, violenter invasit, eamque annum unum et mensem tenuit. Hunc ego, antiquiores scriptores imitatus, inter veros et legitimos pontifices numerandum non esse judicavi, quod sedem apostolicam turpiter ingressus, turpius deseruerit. Nam cum post multa alia scelera et flagitia homo nefarius Vaticanam basilicam omnibus ornamentis suis exspoliasset. Benedictus Albericorum, de quorum familia erat, ope et auxilio fretus, eum usque adeo exagitavit, ut, Roma relicta, Constantinopolim adire cogeretur. Quando et qua occasione Romam redierit, dicam infra in vita Joannis XIV.

NOTITIA DIPLOMATICA.

(JAFFÉ, *Regesta pontificum Romanorum* 331)

† Benedicti VI bullæ sunt scriptatæ per manum Stephani notarii regionarii et scriniarii s. sed. apost. (2, 4, 5.)
Benedicti scriniarii s. summæ et apost. sed. (3).

Data p. m.

Widonis episcopi et bibliothecarii s. sed. apost. (2).

Joannis Deo amabilis primicerii s. ap. sed. (3).

Joannis episcopi et bibliothecarii s. sed. apost. (4).

† Quem alii censent in locum Joannis XIII, alii in Benedicti VI, subrogatum esse, DONUM (seu DOMNUM, BONUM) eximi de paparum serie oportere, perfecte demonstravit W. Giesebrecht, *Jahrbucher des deutschen Reichs unter Otto II*, p. 141. E tabulis enim cæterisque indiciis fidis, quorum auctoritate confecta horum pontificum chronologia est, satis apparet intervallum anni 1 et mensium 6, qui recentioribus in catalogis Dono tribuuntur, fuisse neque inter Joannis XIII et Benedicti VI, neque inter Benedicti VI et VII gubernationes. Accedit, quod jam « vivente » Benedicto VI, involasse in ecclesiam constat Bonifacium VII antipapam, ut illi succedere Donus minime potuerit. Postremo illud maxime notandum est, vetustissimos optimosque catalogos de Dono tradidisse nihil. Sic enim in iis de Benedicto VI reperitur :

In cod. Est. ap. Murat III, II, 322, not. o. p :

« Benedictus VI diaconus de regione VIII sub Capitolio, ex patre Hildebrando monacho ingressus est

mense Januario die 19. Hic fuit electus v anno regis Ottonis, ind. prima. Dominus sedit a 1, m. 6. Iste strangulatus est. »

In cod. Vat. ap. Murat. III, II, 332 :

« Benedictus VI, natione Romanus, ex patre Hildibrando, sedit a 1 m. 6. Iste comprehensus est a quodam C(resc)encio, Theodoræ filio, et in castellum S. Angelli retrusus ibique strangulatus est propter Bonifacium diaconum, quem miserunt vivente eo papa ».

In cat. pap. ap. Eccard. Corp. hist. II, 1640.

« Johannes (l Benedictus) VI, nat. Rom. ex patre Hildebrando, sedit a 1 m. 6 et de consilio Malifacii strangulatus est in castello S. Angeli ».

Ex tribus igitur his catalogis, quos a communi manasse fonte manifestum est, unus cod. Est. vocem « Dominus » continet. Quæ vero cum in catalogis illis pro « papa » haud raro collocetur, neque hoc loco referri nisi ad ipsum Benedictum VI queat, quivis concedet facile, falsa transcribentium interpretatione Dominum illum una cum tantodem anni 1 mensiumque 6 pontificatu, quantum fuisse Benedicti VI scimus, in posteriores catalogos irrepsisse.

BENEDICTI VI PAPÆ

EPISTOLÆ ET PRIVILEGIA.

I.

Benedicti papæ VI epistola ad Fredericum Salisburgensem episcopum et ejus comprovinciales. Ipsi ejusque successoribus vices apostolicas in Norica et Pannonia concedit.

(Anno 973.)

[MANSI, Concil. XIX, 38.]

BENEDICTUS, divina favente gratia atque totius populi Romani electione apostolicus, FRIDERICO Salisburgensis Ecclesiæ archipræsuli, una cum suis fratribus, videlicet Noricæ provinciæ episcopis, mansuram in Christo felicitatem.

Protoplasto generis humani atque ejus semine serpentina suasionem in gemina cadente morte, multas Deus misericordia ductus medicinas misit in hunc mundum, patriarchas scilicet justos, prophetas veridicos, legiferum cum lege : et his omnibus mundum salvare non valentibus, novissime Filium suum humana carne indutum ad redemptionem generis humani ad terras transmittere dignatus est. Eo itaque inter homines conversante, duodecim elegit apostolos, quos ad seminandum verbum Dei in corda fidelium per universum transmisit orbem : quorum atque totius Ecclesiæ sanctum constituit Petrum principem, cui gregem commisit ecclesiasticum, tertio ei dicens : *Pasce oves meas* (Joan. XXI) ; cui etiam ligandi atque solvendi tradidit potestatem, dicens : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis ; quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cælis* (Matth. XVI.) Et non solum sancto talis concessa Petro potentia, sed etiam suis successoribus, ejus vicem in Ecclesia tenentibus, eadem ligandi atque solvendi a Deo tradita est potestas. Sancti itaque Petri apostoli successores per loca, prout opus erat atque decuit, constituerunt archiepiscopos, qui eorum vicem tenerent in Ecclesiis ; quia ipsi universas regere non poterant Ecclesias. Nos quoque vicem beati Petri apostoli, prout hominibus istius temporis possibile est, in Ecclesia tenentes, statuta illorum antecessorum nostrorum con-

A firmare, quantum possumus, libenter desideramus.

Concedimus itaque vicem apostolicam Frederico Salisburgensis Ecclesiæ antistiti, ejusque successoribus, in tota Norica provincia et in tota Pannonia, superiori videlicet et inferiori, quomodo sui antecessores eandem potestatem a nostris habuere antecessoribus : ita scilicet, ut nulli liceat in præfatis provinciis sibi usurpare pallium, nec episcopos ordinare, nec ullum officium quod ad archiepiscopum pertinere debet, præter præfatum archiepiscopum ejusque successores. Quicumque autem huic refragari, vel contendere voluerit decreto, quod nos vice B. Petri apostoli fungentes, consensu nostrorum episcoporum ac totius cleri Romanæ Ecclesiæ, decrevimus, sciat se B. Petro ejusque vicario esse contrarium atque fore anathema usque ad satisfactionem, sive sit episcopus, aut presbyter, sive clericus cujuscunque ordinis, sive laicus cujuscunque fuerit dignitatis ; quia sancta sanctorum antecessorum nostrorum solvere nolumus neque valemus. Sed quomodo illi consensu suorum episcoporum ac totius cleri constituerunt, fiat ex eorum pariter, et nostro decreto firmum atque perpetuum. Quicumque autem episcopi per amicos, sive clam per aliquam fraudem, aliquando ejusdem dignitatis petierint, sive petierunt privilegium, illos suspendimus ab ea dignitate ; quia illicitum judicamus ut aliquis episcopus, sine totius suæ provinciæ atque suffraganeorum suorum consensu, pallium sive aliquod archiepiscopatus privilegium a Romano pontifice acquirere præsumat.

II.

Privilegium Benedicti papæ, quod dedit episcopo Theodorico Trevirensi.

(Anno 973.)

[MANSI, Concil. XIX, 45]

BENEDICTUS episcopus, servus servorum Dei, charissimis nobis in Christo fratribus universis episcopis ac totius dignitatis, et ordinis catholicis viris,